



1. Bockh / Friderici Samuelis / Diss. De Notione
Immensitatis Dei amplificanda Co
n
templatione magnitudinis Mundi.
Regiomonti 1766. Autor J. C. Reccard.
2. Bode / Christophorus Augustus / protevan,
gelium Genesios Cap: III Vers: XV. Helm,
Stadt 1763.
3. Boehmer / D. philip Adolph: / programma, de
Christo filio Domini, Halle 1765.
4. ——— programma, addita est illustratio
addita est. Illustratio loci 1 Corinth. XV, vers, 51,
Hale 1766.
5. ——— programma in Commentationem ad
Illustrationem Actorum Apostolorum, 1766.
6. Büchner / D. Andreæ Elie: / programma in
diem natalem Christi, Halle 1768.
7. Carrach / Joh: Tob: / programma paraclati
Appellatione Spiritui Sancto tributa,
Hale 1764.

RELIGIOSAM
3
NATALIS DOMINI
CELEBRATIONEM
FRIDERICIANAE PRORECTOR
D. PHILIPPVS ADOLPHVS
BOEHMER

MEDICINAE, ANATOMIAE ET CHIRVRGIAE PROFESSOR
ORDINARIVS, ACAD. CAESAR. NAT. CVRIOS. ITEMQVE
IMPER. PETROPOL. NEC NON REG. BEROL. SCIENT.
ET PARIS. CHIR. SODALI

VNA CVM DIRECTORE
AC
RELIQVO SENATV ACADEMICO
COMMENDAT CIVIBVS
PROPOSITA DISPVATIONE
DE
CHRISTO FILIO HOMINIS.



H A L A E
TYPIS ORPHANOTROPHEI
MDCCLXXV.

RELIGIOSAM
NATALIS DOMINI
FUNDATIONE
DIRECTOR
D. PHILIPPUS ADOLPHUS
BOEMER

MEDICINAE ANATOMIAE ET CHIRURGIAE PROFESSOR
ORDINARIUS ACADEMIAE CAESARIS NAT. OVAE TEMPA
MAGISTRI PETRIUS ABO NON RES. BEROL. SCIENT.
ET PARIS. CHIR. SOCIATI

UNA CVM DIRECTORE
RELIQVVS SENATVS ACADEMICVS

COMMENDAT CIVIS
THEOLOGICA DISPUTATIONE ^{AK}

CHRISTO FILIO HOMINIS



H A L A E
TYPIS DR. HANNOVERIENSIS
CICIGOLLEXY





audabile omnino religiosae antiquitatis institutum est, et a posteris merito retentum, ut quotannis certi dies recolendae memoriae summorum Dei beneficiorum in vniuersum humanum genus collatorum destinarentur; qua in re praesenti mortalium indoli egregie consultum esse, facile ab iis intelligitur, qui ad statum animorum prudenter attendunt, hominesque considerant ut re vera iam sunt, non vero ut finguntur aut optantur. Solent enim iam res maximae, in primis vero diuinae ad coniunctionem cum Deo salutarem verumque eius ipsique probatum cultum pertinentes hominibus, qui iam natura alieni ab iis sunt, facile vilescere, et si non plane obliuioni dari, minus diligenter tamen nec pro dignitate sua, cogitari, nisi tempus interdum sumatur, vacuoque ab aliis plane rebus animo feriae illarum meditationi impendatur. Est vero praeter hanc communem singularis adhuc causa, cur nobis de veteri hoc instituto tanquam beneficio diuino gratulari debeamus, a temporum hominumque nostrorum, qui auctoritate valent, et acumine singulari valere sibi videntur, ingenio voluntateque ducta atque in eo posita, quod vix credibile sit ab iis iam vniuersali consensione facile impetratum iri, ut talis mos nunc primum induceretur, nisi iam per manus tot seculorum quasi traditum accepissemus et iam haberemus.

Cum igitur tempus iam venerit, quo vniuersa ciuitas Christiana summi illius beneficii diuini memoriam publice celebrat, quod Deus amore plane gratuito ductus filium suum vnigenam in mundum misit, ut mundus per eum seruarietur, merito laetamur, et ad officium nostrum pertinere statuimus, ut et nos et vos, *Ciues carissimi*, ad religiosam ac decentem instantium dierum actionem, quae in iusto ac salutari beneficii illius vsu vnice ponitur, publica etiam compellatione ex veteri more cohortemur.

Quod consilium ita exsequi constituimus, ut antea vtile aliquod argumentum cum instantium dierum ratione coniunctum vobis ad meditando proponamus. Delegimus vero in praesenti ad hunc finem vnam ex vstitutissimis appellationibus Seruatoris optimi, appellationem scilicet *filii hominis*, quae etiam eam ob causam tanto magis attendi meretur, quoniam Dominus ipse de se loquens illa frequentissime vsus legitur, ac proinde nobis vim meditationemque significationis commendare voluisse merito creditur.

Tria vero sunt, in quibus breuiter expediendis opera nostra occupabitur: *primo* inquirendum est, vnde haec appellatio petita sit; *deinde* vis et

significatio illius, quatenus et quando Dominus illa signatur, constituenda est; *denique* etiam de usu illius agi oportet.

Primo igitur loco in originem huius appellationis inquirendum est, quae nemini dubia et incerta videri potest, qui obseruauerit Dominum ipsum ministrosque ipsius, quorum opera ad ecclesiam suam constituendam usus est, vniuersam doctrinam de Christo ex scriptis V. T., vt par erat, ducere et approbare solitos esse. Si igitur appellationem aliquam Christi in scriptis N. T. occurrentem, in libris V. T. inuenimus, iure dubitari non potest, quin eam ipsam ob causam usurpata sit, quia in scriptis V. T. legitur; nec proinde tum opus est, ad alios fontes ac nescio quas Iudaeorum traditiones recurrere, ad quas Dominus legatque illius respexerint, et in eorum gratiam hoc vel illo modo locuti sint.

Duo vero sunt maxime loci in scriptis V. T. in quibus appellatio *fili hominis* de Christo occurrit. Primo itaque sine dubio Psalmus octauus respicitur, quem totum et vnicè ad Christum pertinere ac de persona illius, satis atque imperio canere non solum diserto testimonio et interpretatione N. T., (Ebr. II. 6. 1 Cor. XV. 27.) quam hominem Christianum omnino reuereri deoer, confirmatur, sed etiam argumento totius Psalmi satis probatur, ita quippe aperte comparato, vt dicta de persona quadam singulari, de qua totum carmen agit, non nisi contorte et per apertam vim verbis ac rebus contra vtrorumque naturam illatam ad Dauidem, aut nescio quem alium vilo modo trahi possint; sicut ab interpretibus nonnullis, haud scimus num per timiditatem nimiam Christum statuendi, vbi forte non sit, an audaciam eum tollendi, vbi aperte est, factum esse constat.

Ita vero scriptor diuinus, *quid est homo*, inquit, *quod recordaris illius*, et **כִּן אָדָם** *FILIUS HOMINIS*, *quod visitas eum*. Sermo est de homine quodam et *filio hominis*, de quo diserte affirmatur in sequentibus, cum post calamitates, quibus affligendus sit, a Deo valde euectum omnibusque operibus ac rebus a Deo effectis ita praefectum iri, vt omnia ipsi et imperio ipsius subiecta parere debeant. Nullam vero hic vilius rei exceptionem locum habere, non solum ex aperta Pauli interpretatione (1 Cor. XV.) sed etiam ex eo apparet, quod in ipso psalmo, inter opera manuum Dei filio illi hominis subicienda coelum etiam, et corpora coelestia, luna ac stellae numerantur; in quae sane aliorum hominum imperium nullum est, aut vnquam fuit, quippe quorum omnis potentia ac potestas angustis orbis terrarum finibus concluditur; imo ne in hac quidem sede illorum ad valde multa pertinet, aut aliquid notabile efficere potest; dum in summo illius tantum repunt, in imis vero non valde magnos progressus facere, nedum in iis quae supra tellurem nostram sunt, omni sua vi ac conatu aliquid moliri aut mutare queunt. Quae qui atente considerauerit, facile perspiciet, quam solida ipsaque argumenti natura nitens inter-

interpretatio scriptorum N. T. sit, cuncta haec vnice de Christo dicta adfirmantium.

Progredimur vero iam ad alterum V. T. locum, in quo appellatio filii hominis de Christo occurrit, et inde translata ac primo tempore N. T. usurpata est. Legitur ille in Danielis libro (c. VII. 13. 14.) his verbis comprehensus: *Vidi in visis nocturnis, et ecce cum nubibus coeli sicut FILIVS HOMINIS venit aliquis, et ad senem dierum tetendit, et ad illum adduxerunt eum: et datum est illi imperium et honor et regnum, et omnes populi, nationes et linguae illum veneratae sunt. Imperium eius imperium aeternum est, quod non transibit, et regnum illius tale, quod non peribit.* Vocem hanc diuinam in praesenti explicare pro instituti nostri ratione nec vacat nec licet, sed sufficit nonnulla tantum obseruare.

Primo itaque dubitari nullo modo potest, de nemine alio quam de Christo hic agi, cum sine aperta absurditate de alio aut *filio hominis* aut regno cogitari nequeat, in quae dicta conueniant. Deinde attento lectori obscurum et dubium esse non potest, effatum hoc ad Psalmum octauum dictaque in illo respicere, prout comparatio verborum ac rerum vtrinque occurrentium perspicue satis docet. Denique non minus apertum est, cum ipsum Dominum de se loquentem, tum etiam apostolos de illo diserentes hunc locum spectasse. Conferantur v. g. (Matth. XXVIII. 18. Apocal. V. 9 sqq.).

Ex his itaque dictis appellationem *filii hominis* maxime petitam esse, persuasum habemus. Sunt quidem etiam alia nonnulla, quae huc, et quidem non sine omni verisimilitudinis specie, trahi possent: sed cum tamen non aequae omnium dubitatione careant ac superiora, in his acquiescere malumus, consultius putantes, locis pondere potius quam numero valentibus rem agere, ne infirmiora et incertiora obrectatoribus causam calumniandi praebeant.

Sequitur vero nunc *alterum* quod facere instituimus in eo positum, vt inquiramus in vim notionemque huius nominis, dum Dominus illo signatur. Alios etiam homines vulgares *filios hominis* appellari nemini ignotum est; id quod fieri solet non modo si de pluribus, verum etiam si de singulis sermo est, vt vel Ezechielis exemplum docet, qui in compellationibus diuinis fere *filius hominis* audit, licet hoc excepto appellatio in singulari paullo insolentior sit in scriptis V. T. Sed his, cum expedita satis sint, iam missis, ad rem ipsam accedimus, vim huius appellationis Christi exposituri. Tria vero maxime illa indicari debuissent, arbitramur. *Primo* itaque sine dubio docere nos debet frequentatio illius, verum omnino hominem Seruatorem nostrum esse, nobis quod ad naturam per se attinet prorsus similem, quod nosse ac plane exploratum habere quantum nostra interfit satis constat, atque his diebus copiosius explicari solet. Qui enim verus homo non est, *filius* etiam *hominis* esse et appellari nequit, cum ex homine non nisi homo nascatur.

Secundo appellatione filii hominis id maxime probari oportebat, Dominum nostrum verum hominem esse factum, non per immediatam creationem et sine alius cuiusdam hominis interuentu, sed ex aliis hominibus vere natum, ac proinde ab illis humanam naturam nactum, eamque ob causam reliquorum hominum gentilem esse eosque sanguinis coniunctione attingere. Quod quanti momenti sit, quantoque generi humano honori hic filius hominis sit, his quoque diebus copiosius a doctoribus publicis exponi solet. Porro vero probe obseruandum esse censemus, appellationem *filii hominis* de Christo inprimis usurpatam primum generis humani et comunem parentem *Adamum* respicere, eamque ob causam id fieri, vt edoceamur, Iesum hominem, aequae atque alios homines verum *Adami* filium esse, eundemque ratione humanae naturae parentem suum agnoscere; id quod Paulino effato, Christum respectu humanae naturae sine patre fuisse pronuncianti minime repugnat, quippe quod modo patrem qui eum ex matre genuerit, minime vero patres et progenitores ipsius matris excludit, qui vere etiam progenitores Christi hominis sunt et recte appellantur, alioquin enim filius illorum, v. g. *Dauidis*, appellari non posset.

Recte etiam iam a multis praestantissimisque interpretibus monitum est, *Lucam* in tabula generis Christi hominis, quam capite tertio libri sui exhibet, Iesum nostrum *filium Adami* discrete appellare, secus ac multi alii fenserunt, qui commate ultimo *Adamum* primum generis humani factorem *filium Dei* a *Luca* appellari existimant. Licet enim id sanam interpretationem habere possit, recte tamen iam dudum ab aliis obseruatum est, in huiusmodi tabulis genealogicis scriptorum V. T. quorum exemplum *Lucas* sine dubio sequi voluit, omnia membra personam principem respicere, ac proinde *Lucae* orationem ita vertendam, *Iesus erat* (cum filius *Iosephi* perperam putaretur ab ignaris rerum) *filius Eli* (patris *Mariae*) *erat porro filius Matthat, filius Levi* — *filius Dauidis, Abrahami* cet. *erat tandem FILIVS ADAMI*, et quod longe maius est, ipsius *Dei* vnigenitus et proprius.

Tertio denique Dominus filius hominis appellari videtur ad significandum, eum hominem esse primarium, praecipuum et sine exemplo, talemque proinde *Adami* communis parentis filium, cuius similem alium plane non habeat, respectu cuius omnes alii illius filii, si huic comparentur, in censum plane non veniant, erga quem proinde vt recte se gerant, omnes alii operam dare suamque salutem in eo positam esse persuasum habere debeant. Sicuti enim *Iesus* in N. T. solus et vnice *filius Dei* in singulari et simpliciter appellatur, ad significandum eum filium *Dei* in eam sententiam esse, in quam nemo alius sit aut esse possit, vnigenitum nimirum et proprium, ac proinde ipsum *Deum* summum et aeternum, ita pariter *filius hominis* simpliciter dicitur ad significandum, eum omnibus aliis quam longissime praestare et praecipua habere, quae etiam solus habeat.

Progre-

Progredimur vero iam ad *tertiam* propositae disputationis partem, de usu huius appellationis breuiter adhuc acturi, quod ita facere instituimus, vt primo usum illum ipsum, prouti in N. T. cernitur, exponamus, deinde vero de causis ac rationibus cum adhibiti ac frequentati tum intermissi illius vsus, quantum eas inuestigare licet, paucis disseramus. Primo itaque de ipso appellationis huius usu, prouti illum in scriptis N. T. cernimus, dicendum; circa quem sequentia obseruare licet. Primum igitur apertum est, ipsum Seruatorem de se loquentem hanc appellationem sui magis frequentasse quam vllam aliam, adeo vt vel octagies circiter, prouti obseruatum est, illa de se in euangelistarum scriptis vsus legatur. Accedit ad singularia vsus, quod Dominus nullum alium mortalium sed se solum *filium hominis* appellauit: in quo tamen dissentientes nonnullos habemus, locis Matth. XII. 32. et Luc. XII. 10. nixos, vbi Dominus de conuicio in *filium hominis* loquitur, illudque conuicio in Spiritum sanctum longe adhuc atrociori opponit; ex quo conficiunt, homines quoscuque ac Deum hic sibi inuicem opponi, ex eoque sequi, hominem quemcunque alium ac vulgare in his locis *filium hominis* dici, cum Christus tanquam homo non merus sed Θεωθεωπος, Spiritui S. qui Deus sit, commode opponi vix queat. Verum tanti momenti haec non sunt, vt nos de sententia deducant. Cum enim Dominus saepissime alias de hominibus vulgaribus locutus sit, nunquam vero hac eorum appellatione vsus cernatur, verisimile certe non est, eum in vnico hoc effato ab hoc more discessisse; quod ex loco laudato Lucae inprimis apparet, nam proxime ante factam mentionem de conuicio in filium hominis, *abnegans me*, inquit, *coram hominibus, eum abnegabo coram angelis*; vbi homines vulgari vsitato nomine *hominum*, non *filiorum hominis*, nedum in singulari filii hominis appellat. Ex oppositione vero illa *filii hominis* et *Spiritus S.*, quae dissentientes ad aliam sententiam deducit, per se nihil sequitur, quod diuinae Seruatoris naturae fraudi sit, vt rerum theologiarum periti facile intelligent. Praeter Dominum vero ipsum, nemo alius in scriptis N. T. hac appellatione de illo vsus legitur, excepto Stephano Act. VII. 55. *video coelum apertum*, inquit, *et filium hominis ad dexteram Dei stantem*, et Ioanne Apoc. I. 13. vbi apparens Dominus dicitur filii hominis similis.

Subiungimus vero iam breuibus causas cum frequentati tum intermissi postea vsus appellationis huius. Quod igitur ad ipsum Dominum attinet, dubitari vix posse videtur, eum hoc nomine humanam naturam per se signante, ideo frequentissime de se vti voluisse, quoniam tum in eo statu erat, quem Paulus (Phil. II. 6 sqq.) describit, in quo ad fines officii consequendos, vsus conspicuum et perpetuum virtutum diuinarum ipsi quoque qua homini et filio hominis beneficio vinculi personalis proprietarum intermitti oportebat. Quoniam igitur illo ipso tempore, licet vere Θεωθεωπος esset ac maneret, tamen se in actione vitae magis tanquam hominem quam tanquam Deum gerebat,

conue-

conueniens omnino huic instituto erat, vt etiam in sermone frequentius se *hominem* et *filium hominis*, quam *Deum* et *filium Dei* appellaret; quod tamen ita factum est, vt rebus non minus quam verbis sapientius etiam testaretur, se Deum ac filium Dei proprium esse, ne quis voluntariam illam abnegationem sui in fraudem veritatis diuinæ naturæ interpretaretur; quæ cautio a Seruatore adhibita tam aperta est, vt infensissimi hostes probe ac rectissime intellexerint, eum, licet se *filium hominis* fere appellauerit, simul tamen longe maiora de se ac talia adfirmasse, quibus se *filium Dei proprium*, Deo plane parem, ac proinde ipsum Deum faceret; qua in re veteres illi hostes diuinæ naturæ Christi plus viderunt quam recentiores, qui tamen sectatores illius ac discipuli videri volunt. Ex his vero etiam facile princeps saltem ac præcipua ratio apparet, cur post exaltationem Christi hominis vius huius appellationis intermissus sit. Quoniam enim super omnia euectus vsus perpetuum maiestatis diuinæ susceperat, conuenientius omnino erat, eum vel nominibus naturam diuinam proxime ac per se signantibus appellari, quia in illo statu diuinæ naturæ vis; potentia et maiestas magis cernitur, vel nominibus totam Θεου εἰδω-
παι personam ex vtraque natura constantem significantibus signari.

Sed sufficiant hæc: restat vt vos, *Ciues carissimi*, ad religiosam et decentem instantium dierum celebrationem cohortemur, quod facimus per Deum ac salutem vestram vos orantes atque obsecrantes, vt gratia salutari, quæ omnibus in Christo apparuit, vos ita moueri, mutari, animisque sanari partiamini, vt omnem impietatem et cupiditates mundi aliquando abnegantes, iuste, sobrie ac pie viuatis. Cogitate itaque his diebus summum amorem Dei, qui etiam vobis filium dedit, vt per eum salutem consequamini; cogitate amorem Christi, qui homo imbecillus vestra etiam causa factus est, vt vos filios Dei efficeret; adeste ad audiendum euangelium religioso et attento animo, Deumque omnis boni opulentum ac liberalem auctorem implorate, vt Spiritu suo vos ad salutem vestri, sui, ac filii cognitionem perducatur, ac vere sapientes efficiat, quo respicientes et credentes salutem consequamini.



P. P. in Fridericiana pridie natalis Domini CIOIOCLXX.



78 L 1708

ULB Halle

3


002 390 507




Sb.

Hilf. 100.







B.I.G.

Farbkarte #13

RELIGIOSAM

ATALIS DOMINI

CELEBRATIONEM

FRIDERICIANAE PRORECTOR

PHILIPPVS ADOLPHVS

BOEHMER

ICINAE, ANATOMIAE ET CHIRVRGIAE PROFESSOR

DINARIVS, ACAD. CAESAR. NAT. CVRIOS. ITEMQVE

IMPER. PETROPOL. NEC NON REG. BEROL. SCIENT.

ET PARIS. CHIR. SODALI

VNA CVM DIRECTORE

AC

RELIQVO SENATV ACADEMICO

COMMENDAT CIVIBVS

PROPOSITA DISPVATIONE

DE

RISTO FILIO HOMINIS.



H A L A E

TYPIS ORPHANOTROPHEI

MDCCCLXV.